

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5506

**Auteur(s) :** Nicolas de Villiers, bailli du Cotentin [autre]

**Bénéficiaire(s) :** Robert de Harcourt, Coutances (évêque)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1294, 27 mars

**Lieu d'émission :** Coutances

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Nicolas de Villers, bailli du Cotentin, vidime l'acte de Philippe [le Bel] de février 1294 sur la clôture de l'église de Coutances.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 318, p. 456.

## Dissertation critique

v. st.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Nicholaus de Villaribus, baillivus Constantini, salutem in Domino. Noveritis nos vidisse, palpasser et diligenter inspexisse, litteras excellentissimi principis et domini nostri domini Philippi, Dei gracia Francorum regis illustrissimi, sanas et integras, sigillo et contrasigillo ipsius in cera viridi cum filo serico pendenti sigillatas, formam que sequitur continentes :

« Philippus, Dei gracia Francorum rex, ecclesiis ecclesiasticisque personis illa benigno favore concedimus quibus eis secularis tumultus sublati prepediis circa divina beneplacita prosequenda, paretur oportuna commoditas votive, proveniat tranquilitatis augmentum et honestatis decor, incrementis continuis circa eas de bono semper in melius amplietur, et licet libenter ad ecclesias ecclesiasticasque regni nostri personas singulas hujusmodi favoris graciā extendamus, tamen circa Constanciensem ecclesiam et personas ejusdem eo libencius nostre gracia liberalitatis exuberat, quoad ecclesiam ipsam ob reverenciam Alme Virginis sub cuius est gloriose vocabulo stabilita majorem gerimus devotionis et dilectionis affectum ac dilectum et fidelem nostrum R[obertum], ejusdem ecclesie presulem, ob ejus multiplicitum dotes virtutum et claram suorum altitudinem meritorum que per gratia sue fidelitatis obsequia nobis et regno nostro impensa diutius ex quibus fructus multiplices provenerunt et commoda quasi palpando cognovimus, ampliori prosequimur caritate. Notum igitur facimus tenore presencium universis tam presentibus quam futuris, quod nos premissorum consideratione indutti, ejusdem episcopi et capituli ecclesie predicte devotis supplicationibus inclinati, eis de gracia speciali concedimus quod tam eandem ecclesiam quam episcopale manerium ac domos canonicales ejusdem ecclesie murorum possint ambitu communire et circumquaque clausuram habere et tam sibi quam successoribus eorumdem muros predictos reficere, ac retinere liceat,

quociens opus fuerit in futurum ; in quibus muris porte quatuor construentur in partibus et locis inferius designandis, una videlicet inter portam dicte ecclesie et manerium magistri Nicholai de Carnoto, secunda inter atrium Sancti Nicholai et domum Guillelmi de Burgo presbyteri, tercia inter manerium magistri Bernardi Buticularii et domum heredum dicti Valeran, quarta inter murum predicti episcopalnis manerii et domum que fuit Symonis de Duno, per quas transire volentibus, congruentibus horis, liber ingressus pateat et regressus. In clausura quoque predicta, jurisdictionem aditum et justiciam, quam ibidem hactenus habuimus et habemus, nobis in integrum reservamus, ita quod episcopus et capitulum memorati nullam in clausura ipsa, pretextu concessionis hujusmodi, jurisdictionem vel immunitatem sibi poterunt vendicare, vel facinorosos et maleficos illuc confugientes sub pretextu immunitatis, ratione concessionis ipsius, receptare aut justiciarios et servientes nostros quomodolibet impedire quominus facinorosos ipsos ibidem capere valeant et solitam jurisdictionem et justiciam exercere, salvo eidem episcopo justicia et tam sibi quam dicto capitulo immunitate, si quam habent, in manorio, domibus et locis aliis in clausura predicta contentis, circa quam nichil juris detrahi volumus vel acquiri, salvo etiam in omnibus aliis jure nostro et quolibet alieno. Quod ut perpetue stabilitatis robur optineat, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini M° CC° nonagesimo tercio, mense februarii ».

In cuius rei testimonium, sigillum baillivie Constantini presentibus duximus apponendum. Datum apud Constancias, anno Domini M° CC° nonagesimo quarto, die sabbati post festum Annunciationis dominice.